ORATIO ad Pontifices, Londini in æde Paulina, Anno Dom. 1553. 17. Idus Aprilis habita in Synodo publica:

Per Nicolaum Grimoaldum.



LONDINI:
Ex officina Typographica
HENRICI BYNNEMANI.
Anno Domini. 1583.
Cum gratia & priuilegio Regiæ Maiestatis.



PRECATIVNCVLA.

DA Deus optime maxime tua dicta libenter vt audiamus: audita diligenter vt exequamur: tuo summo quod honori cedat, nostróq; summo emolumento. AMEN.

PROPOSITIO.

CAuete vobis, & toti ouili, cui vos S. Spiritus præposuit Episcopos: vt regatis Ecclesiam Dei, quam ipse suo sanguine comparauit.

Actorũ Apostolicorũ è capite vicesimo.



VANQVAM vos (clariss. Præsules, & diuinorum oraculorum interpretes) in optimarum artiũ sciẽtia educatos, & magno grauissimarum rerum vsu cõfirmatos, abũdare oportet bonis & salutaribus institutis: propter studiorum constantiam, magistrorum copiam, disputationum varietatem, ipsorumq; adeò temporum fœlicitatem: tamen vt ille, vir sanctus sanè, quisquis fuit, Hebræos admonuit, sese vt mutuò quotidiè cohortarentur:

 ne

ne quis eorum peccati fraude occallesceret: idem cùm aliàs sæpè faciundum censuere maiores nostri: tum verò maximè in primo aditu ad causam tantã, quantam (volente Deo) nunc estis aggressuri: quò & lãguentes commoueri, & currentes incitari poßint. Quandò enim confluxistis hoc tempore, de rebus non priuatis, sed publicis: ad gloriam non vestram, sed Christi: ad commoditatem non vnius, & alterius, sed totius regni Britannici pertinentibus: vti deliberationem habeatis, & aliquid in commune statuatis: proponenda inprîmis cœlestia, neque cogitanda terrestria sunt: ne damnetur à vobis diuina prouidentia: neúe concursus tam celebris frustrà factus esse videatur. Quantumuis licet excellatis inter alios, et per vos ipsi sapiatis: quoniam tamen ea nunquam dicuntur nimis, quæ nunquam discuntur satis: diuina dicta recognoscere cum altero, humanæ imbecillitati prodesse iudicabitis: præsertìm cùm dixisse Diuum Petrum intelligatis, semper se commonefacturum homines etiam naros, et in veritate fixos. Quinimò si spectatißimi viri Tobæi memoriã libẽter vsurpatis: qui filium iußit auscultare cuilibet, dũmodò sanum ei consilium daret: vos, qui antehàc audiendi aßiduitate collegistis prudentiam tantam: minimè nunc quidem in audiendi fastidio ponetis prudentiam vestram: sed quemadmodũ in eâdem naui sæpenumerò periti gubernatores à vectoribus admoneri solent: ità etiam mihi dabitis eam veniam: vt non tàm quæ sapio, quàm quæ video, vobis intelligentißimis viris demon-

demonstrem. Nec verò vos insequor hac oratione vt erudiam: quasi ego aut prudentior esse videri velim, aut ad vestram vel doctrinam, vel sapientiam adferre me posse quicquam existimem: sed nimirùm suadendo potiùs quàm docendo, & rogando quàm præscribendo agam vobiscum, & magnoperè contendam, vt opem apud vos, & veluti portum quendã, atq; perfugium literata pietas inuenire poßit. Dum itáque vos Deo dicatos admoneo breuiter, quæ diuinarum rerum ratio postulabit: dumq; cohortor vos, quoàd à me fieri potest, vt quam de vobis expectationem concitastis apud omnes & virtutis, & eruditionis, & sapientiæ: hanc sustinere nauitèr, & tueri poßitis indies: si, quam cepistis, attentionem dabitis, enîtar equidem pro virili, vt si non Rhetorica, popularisue Prudentia, Religio tamen, & nostra cõmunis mater Ecclesia me suum esse præconem, & alumnum asserat.

Quamobrem quod exercitatißimus Apostolus, & Christi Domini legatus experientißimus Ephesianos, ab eis digressurus, cõmonebat: vt exemplo suo ita docerent Euangelium, nemo vt periret vspiàm eorum culpa: ac in accepta notitia Dei, & probata persuasione persisterent: vt sibi, suisque cauerent ab aduersarijs: id nos inpræsentiarùm dicendo renouãdum, repetendumq; duximus: primùm vt ex illius persona personas vestras effingere, & in vobis ipsis formam exprimere poßitis cæterorum ministrorum: deindè vt commonstretis itidem vestris administra-

toribus eandem eiusdem operis, munerisq́ functionē. Nobilißima profectò hæc Paulina concio est, & Episcopis, Ecclesiarumq́ præfectis longè vtilißima: & sine dubio dignißima, in quam, ceu normam, intueantur omnes: quamq́ noctes, & dies animo, & cogitatione versent: vbi nimirùm Paulus Asiaticis Præsulibus Conciones ità cōmendauit: vt omnis indè posteritas quasi præscriptum habeat, quid aut sequi, aut declinari oporteat. Verum enimuerò hæc ipsa oratio cùm sit prolixior, quàm vt tota recenseri, & pertractari poßit: grauior autem, quàm vt prætermitti aut negligi debeat: vnum quendam primariū locum, cætera suo ambitu compræhendentem assumo, qui est de diligenti, & continenti custodia, deq́ adhibenda cautione, & prouisione contra versutias, fraudes, & nequitias maleficiosorum. Quandoquidem & Dei benignitate, & vestris operis explosa iam insulsa superstitio est, & reiecti cultus præposteri: quandò vera illa, & antiqua, & pura, & casta religio patefacta, cognita, recepta, & propè omnibus partibus est constituta: quid accomodatiùs huic nostro sæculo? quid conuenientiùs videtur Ecclesiæ Britannicæ? quàm eandem ipsam religionem omni studio, cura, labore, diligentia cólere, atq́ retinere, & eiusdem propulsare inimicos, fouere defensores, curare commoditatem, tueri dignitatem. Hîc ope vestra opus est, ô sacrorum Antistites: hîc vestra res agitur: hîc fungendum vobis munere & officio vestro: & in huius professionis aduersarios, cuiusque

iusque generis, atque ordinis, ità conandum, nitendum, agendum : omnes vt religiosi habeant, in quo vestræ constantiæ, scientiæq; singulari, & virtuti gratulentur. Iam quemadmodum non distractis animis, aut in vestra priuatìm commoda respicientibus, sed coniunctis viribus, & communicatis consilijs transigenda res erit : sic quià communibus etiam precibus Deo summo supplicare decet : id non tam de more vt faciatis, quã amore impulsi, et charitate incensi, vos omnes vehementer oratos velim.

Omninò vniuersis mortalibus exposcite diuinam misericordiam : maximè autem Christianæ Reip. ex cunctis gentibus in vnum corpus coagmentatæ. Nominatìm verò humili prece supremo patrono cõmendate Anglicam, & Hybernicam Ecclesiam : in eaq; inprimis illustriß. florentißimumq; Regem, Eduardũ Sextum, principem eius ipsius secundùm Deum moderatorem. Itemq; D. Mariam, itemq; D. Elisabetam, sorores Regias.

Benè precamini viris lectißimis, & honoratiß. Regi qui sunt à consilijs : etiam literatis, & nobilibus, & generosis hominibus, populoq; Britannico : à Christoq; contendite, eius vt spiritu agantur, & incitentur ad suum quisque munus exequendum.

Gratias habete benignißimo Patri de collata in eos beneficentia : qui fœliciter actæ vitæ fœlicem ad exitum peruenêrunt, Eundem nos quoque spiritum votis omnibus expetamus: quò eisdem itineribus traducamur ad cœlestem patriam : vbi cum Abrahamo

regnemus,

regnemus, & Isaaco, & Iacóbo, perpetuis, & sempiternis seculorum ætatibus.

Audite charißimi patres, & fratres: quotquot veremini Dominũ Deum, audite. Exaudite Christum, vt exaudiri à Christo vultis: admittite seruum eius concionantem, vt & vos admitti precantes expétitis. Animaduertite distributores Euãgelicæ sapientiæ, cuiusmodi tandem vos esse debeatis. Inspicite paternum affectum Pauli, & amore vehementißimo flagrantem animum: qui vbi coràm adesse, & rem gerere ipse nequeat: ibi sic saltem repræsentari sese cupit, vt in sermone sacro & patefaciendo, & custodiendo, posteri omnes eodem (quo ipse) ardenti studio tum sibi, tum suis prodesse poßint.

Cauêre sibimet ipsis primùm, deindè ouili, & quidem toti iubet: causasq; subnectit, & rationes grauißimas: dum quo autore, & quid in se, quantumq; susceperint, & quem in finem condocefacit.

Cauete, inquit, vobis: cauete vobis, vndè populus pendet, quos populus respicit: à quibus lucrum populus, emolumentumq; cœleste captat: ne fortè cùm cæteris consulere debeatis, ipsi vobis deesse videamini. Quomodò autem cauebitur? Sanè si disciplina recta vsque conseruetur: quæ quidem vt Ephesijs, sic nostris hominibus primò percipienda est, posteà diuulganda, tum continuanda, & à criminationibus maleuolorum vindicanda: tum etiam toto vitæ genere, & rebus, & factis exprimenda. Nemo itaque sustineat hanc difficilem prouinciam indoctus: constã-

tem,

tem & grauem dubius, aut opinione fluctuans; laboriosam dissolutus, plenam periculorũ timidus, sacrosanctam neq; sacer, neq; sanctus.

Quid enim doctorem esse quenquam, doctrina qui caret? Speculatorem, qui cæcus est? Exploratorem, qui ne vestigium quidem ponere vllum potest? Ministrum, qui decoram ministerij formam violat? Rectorem, qui nescit seipsum regere? Literarum homo rudis & imperitus, aut etiam vernaculus aliquis, et popularis doctor qua ratione tuebitur verum? quibus incitabit ad virtutem stimulis? quo pacto franget eorum impetus qui veritatis arcem oppugnare pergunt & demoliri moliuntur.

Hic considerate quæso accuratius, quàm pauci sint ex omni numero ministrorum, qui tanto munere dignum aliquid facere, & ostendere queant vias eas quæ ad quietem & beatitudinem ferunt. Existunt (fateor) in hac celeberrima ciuitate aliquot, aliquãdo, qui Christum Christiq; fœdus aperiunt, in plebisq; conspectu ponunt. Rure interim populo seruitur ab insipientibus, et veritati ferè officium denegatur. Nescio quo fato fieri dicam (patres præclarissimi) etiã vobis præsidentibus, qui eruditionis gloria floretis, in quauis diocœsi, plures vt inueniantur legum sacrarum expertes; sacrifici, quàm intelligentes. Num vos etiamdum (Præsules) ad hunc honestissimum ordinem atq; pulcherrimum, illiberale, & impolitum genus hominum aggregatis? Atqui, horum ministeria vt vt leuicule plebi grata sunt: pijs sunt profectò, & moderatis

hominibus odiosa. Occupant operariorum loca, et tamen tabescũt otio: militum & tamen stertunt: buccinatorũ, et tamẽ obmutescũt. Itaq; populo inscio pares inscitia sunt: acceptumq; beneficiũ cõpensant officio nullo: quodq; homines industrios capere oporteret, fuci intercipiunt. Quis tã cæcus est, qui hæc non videat? quis tã durus, qui non deploret? Inter maxima præsidia omniũ disciplinarũ, & studiorũ opportunitates summas regnat ignorãtia: ingeniũ humanũ exuitur, ferinum induitur, pro ratione rectoq; iudicio, subit amentia, & insania: adeoq; discendi sciendiq; auiditas quã natura nobis inseuit, iam ferè vulgo nihili penditur. Ita hæc regio licet aliqua ex parte collustretur luce diuini verbi: tamen maximã partem adhuc densa rerum ignoratione obruitur. Scientia si bonum est honore prosequendum: cur hodie contemnuntur eruditi? Annon quia pecunijs, & opibus affluentes homines, aut nullo, aut pertenui veritatis lumine illustrantur? Nam qui verum videt, discernit, ac dijudicat, is hominem diuitiarum quidem inopem, at doctrinarum tamen diuitem cuiuis ignaro atq; barbaro anteponit. Vestrarũ hoc partiũ est (Pontifices) fouendo naros, repudiando rudes, efficere, vt vel vulgus hominum intelligat, quid sit bonis artibus excoli, vt doctrinam & capessendam, & magni faciendam agnoscat: quo semper in rebus dubijs, & incertis, recurrat ad doctiores in perceptis, atq; cognitis, habeat eis gratiam, per quos profecerit. Quemadmodum terra nisi agricolũm accedat industria, iacet horrida & incul-

ta: sic spinas, tribulosq́; producit animus: si non splendescat spiritali disciplina, & tanquam excolatur. Quippe si nos, qui Apostolorũ, qui Prophetarum qui optimorum patrum scripta quotidiè legimus: vix tamen erumpentes comprimimus affectiones: vix frenamus iram efferuescentem: vix inuidiæ facem extinguimus: vix coercemus cupiditates: quam spem salutis obtinebunt illi, qui non vtuntur ista medicina? neq; diuinis institutionibus auscultare solent. Quando etenim amabunt incognita? aut quando sectabuntur, quæ omninò nesciunt? Contra verò, quid iucundius esse potest? quid magis proprium Christiani hominis? quàm mens benè de deo sentiens, & cœlestem illam doctrinam edocta. Quod nisi iaciatur fundamẽtum verum, ipsa doctrina vera corruet. quicquid inædificabitur. Hæc si contaminetur & vanis commentitijs sue sententijs inquinetur. illico inundabũt errores & morbi, & existent quasi scopuli communis vitæ, id quod nimium, nimiumq́; sensit ætas prior, cùm tã immundi torrentes à Papa profluerent. Chry.

Sed statim vt apparuit quantum fuerat ementita Schola Papistica, syncerum (est Deo gratia) minimeq́; perfusum alieno sapore cultũ secuti sumus. Restat, vt quod generatim legibus & in vniuersum p̃cipitur: id seorsim doceatur à vobis, et particulatim à reliquis administris. Ne torqueatur in vos argumentum, quod Monachis obiectũ Aquinas memorat. Docere nimirum, aut concionari non monacho cõuenire, quatenus est Monachus. Nam ex eo colligi posse, omnes Monachos

chos esse doctores: quod & falsum videretur et absurdum. Profectò enim Fratres, docendi munus ita vobis Presbyteris congruit, vt nihil magis proprium possit existere. Atq; vtinam essetis omnes Concionatores. Meliore loco, et longè quidem meliore, haberent se res humanæ. Summus ille orbis Imperator vnumquemq; nostrûm tanquã in statione definita collocauit, vt quare quisq; potest, defendamus omnes & societates, & ordines. Nos si poßidemus vllas doctrinarum opes, in medium debemus, & liberaliter effundere: neq; tam nobis, quàm alijs semper sapere: & hoc religionis iter ingredientibus monstrare oportet viam, ac de nostro lumine lumen accendere: deniq; intelligendi cupidos prudentia nostra efficere prudentiores. Huiusmodi auxilium à nobis efflagitat vniuersa Patria: quòd certè aut ferendum nobis erit, aut relinquendum hoc totum Theologiæ nomen in quo studia tam diù nostra viguerunt. Qui non alit familiam suam, eum Matthæus infidentem, Paulus quouis infidente deteriorẽ nuncupat. Qui ergo Dei donum defraudat suo victu, quo illum nomine appellabimus? Cogitate vos esse eos vnde sibi et populi, & Reges, & ciues omnes consiliũ de maximis, grauissimisq; rebus expetant. Loquendũ est liberè & admonendum: debere Reges erudiri, rectam vt sententiam ferre poßint: debere principes viros conuenire, Domino vt inseruiant: debere eos sanciendis, promulgandisq; legibus ostendere, se fidem habere Deo, se Rempub. & quidem Christianam tueri, amplificare atq; confirmare. Scilicet summum Deum

Psal. 2.

odisse

odisse malorum Ecclesiam, eosq́ qui non stant ab illius partibus, contrarios illi, & aduersarios esse, & planè perduellionis reos. Quò minor est rerum bonarum cura: quo maior est doctorum virorum paucitas eò vos hæc ipsa defendite diligentius. In patriam & Rempublicam intuemini, (Patres) cui dati estis à Deo gubernatores, cuius incolumitas tacito quodã & vehemẽti naturæ impulsu, vobis esse debet longè charißima. Scelerati, & flagitiosi, quibus via patet ad Inferos, & miserias sempiternas: omnia referre solent ad vtilitatem propriam: nec facilè possunt animum inducere, vt agant omninò aliquid gratuitò. Vir pius tamen & religiosus, vt arbor fæcunda, & fructuosa, non commoditates suas quærit: sed totus est in iuuandis alijs occupatus. Et quid (per immortalem Deum) tam diuinum, tam cæleste, tam beatum? quàm opem ferre supplicibus, solari miseros, dare pacem animis, liberare mentes metu, retinere homines in sanctimonia? Estis sal terræ, condîte cæteros. Estis lux orbis, lucẽte alijs. Estis duces, præite viã reliquis. Estis Angeli Dei Opt. Max. nunciate ingentem lætitiam futuram toti populo. Estis diuinorum arcanorum dispensatores, scienter id facite atq; fideliter. Reuerendi patres, Episcopi, facile est Episcoporum habere nomẽ, rem præstare profectò difficile. Vestro si vultis officio perfungi, oportebit docendo, monendo, emendando, suadendo, deterrendo, disputãdo, alijsq́ multiplicibus ministerijs, obire labores maximos, tolerare vigilias multas, excubare animis, cõcoquere longa tædia, pati Luc. 2. Cor. 4.

contumelias improborum, & versari etiam in vitæ discrimine. Etsi nimis multos experiemini partim ingratos, partim morosos, partim hostili animo p̄ditos: tamen vt ignis vento, sic maledictis animus ad benè faciendum incendatur magis. Proficietur sanè sedulitate vestra, cùm deus vobis vires suppeditaturus sit: et prospicietur vobis ipsis cōmodissimè, cùm tanta vos
Mat. 5. *in cœlo merces maneat. Quare iam inde ab hoc tempore vsq; ad occasum vitæ, extremumq́; spiritum, nūquam diuelli vos à tam præclaro instituto patiamini. Vt Vlisses ille solertissimus, Græcos duces iam abire volentes domum, & Troianam obsidionem omittere, adhortatus esse dicitur, & oratione sua promouisse, ne infectis adhuc rebus proposito desisterent: sic ego vobis autor ero, vt quemadmodum contra pietatis hostes sæpè vos opposuistis: ita deinceps hortatu bonorum virorum, & rogatu, & sæpius, & seuerius opponatis. Non minor est virtus, quam quærere, parta tueri, vt verissimè Poeta cecinit. Idemq́; nunc euenturū putatote, quod olim inuicto Herculi accidisse legitur, qui cùm vnum aliquod caput amputasset Hydræ, subinde cogebatur eundem repetere laborem: nouis subinde succrescentibus in ea bellua monstris.*

Similis hominum priscorum, similis hodiè quoque nostra conditio est. Apostoli cùm Iudæos à praua viuēdi ratione reuocauerant, cumq́; Gentes à cultu simulachrorum abduxerant: in Magum, in Ebionem, in Cerinthum, & eiusmodi hæreticos quanta sunt acrimonia, quanta dicendi contentione inuecti? Augustinus,

stinus, Ambrosius, Hieronymus, & eius ordinis complures ex maioribus nostris, præterquam quòd multa legerunt, docuerunt, scripserunt: nonne cum ijs conflictati sunt, quorum erant imbutæ mentes perniciosis erroribus? Et nobis itidem, hac ætate, aliud ex alio negotium expectandum. Non ita multos ab hinc annos, in eo fuistis multi: vt, quos possetis ab operum nitelis auerteretis, à peregrinatione religionis ergò, à lucernis ad statuas affigendis, lustrali aquula, Missa Papistica, Purgatorio, & id genus alijs rebus: adeoq; nec sine multa opera diuulsistis homines à magnis illis monstris: nec sine multa industria pertraxistis ad sacrorum librorũ lectitationem. Superest, (Patres) sicut anteà decertatum est, cum superstitione: nunc vt cũ impietate certetur: sicut anteà disceptatum est de malè collocatis operibus, nunc querela fiat de omissis benefactis, & nusquã ferè comparentibus: sicut anteà declamatum in idòla, & cultus execrabiles: nunc in illum pestilentissimum Deastrum, Mãmonem declamitetur. Nã quod tempus simile nostrorum temporũ? Quot hodiè solent alienas inuadere facultates? eatenus amplectuntur pleriq; religionem: quatenus quæstum ex ea, cõmodumq; faciant. Vt distrahuntur opes Ecclesiasticæ? Sacerdotiorum quam frequons est nũdinatio? Venalia templa sunt, venales Ecclesiæ. Libet exclamare: Non est (Improbe) domus, non fundus, non ager, homo est, quem emisti: hominem voras, vel potius hominum multitudinẽ. Siccine mores perditi circumuestiuntur emendationis titulo? Nam quid ad

hæc

hæc dicemus, auditores optimi? Quæ hîc est rerum facies? Videtur ista esse forma sanæ Reipublicæ? Quã multis præceptoribus, eorum culpa priuatur Ecclesia? qui victum & apparatum ipsis debitum præripiunt. Scholarũ, & magistrorum, quibus carêre Christianæ ciuitates nullo modo possunt, cur dilaniari sinitis alimoniã et viscera? Quid de vobis iudicabit, atq; sentiet posteritas, tantam audaciam si non coercebitis? Quid iam nunc animi populum habere creditis? cùm rapacitatis omnia plena conspiciant. Annon à maioribus longè alios in vsus conferebantur ista munera? Si sunt Ecclesiæ Bona, quod direptores fatentur ipsi: capienda erunt illis, qui nullam muneris Ecclesiastici partem nunquam obierunt? Quousq; conceditis hãc licentiam? quousq; comprobabitis, quæ auarissimus quisq; concupiuit? Si potestis parùm, saltem cohibete assensiones, ne participetis eorum prauè facta. Si potestis amplius: extinguite crescentem flammam, ne deinde victrix ad domorum & templorum tecta subsiliat. Insatiabile monstrum est Auaritia: neq; sibi frenos inijci patitur Ambitio: præsertim, quando succeditur ex sententia. Pecuniosis hominibus haud equidem inuideo: tantum admoneri volo, cuius sint œconomi, etiam atq; etiam vt meminerint: diuexatoribus opto meliorem mentem. Opulentus est aliquis: ne respuite. Prædator est increpate. Habet sua: fruatur sedulò. Eripit aliena: tacere qui potestis? Christum esurientem qui non pauerunt, si Gehennæ ignibus adiudicãtur: quod demùm illi supplicium luent, qui fa-

[Chr]ysost.

me

me Christum enecant? Lazarus si Diuitis accusator acerbus extitit, ab illo quidē affectus iniuria nulla: sed quòd illius bonis frui nō poterat, qua defēsione vtētur ij, qui præterquā quòd de suo nihil impertire volūt, extorquent etiam aliena? Si laudi ducitur Pharaoni, suppeditasse sumptus in summa caritate annonæ sacerdotibus: collaudabitis eos, qui non modò non suppeditant, sed suppeditatos adimunt?

Estne hoc leue quiddam? contaminare templum Domini, & ipsius fana profanare: deformare religionem, quam perpolire videri volumus: præsidia subtrahere studiorum: conuertere publica beneficia in priuatos, vsus dicam an abusus? Quid prædicabunt fratres nostri per omnem siue Angliam, siue Europam, siue etiam per orbem terrarum disseminati? Hoccine Euangelium esse? Hos esse fructus tot concionum? Hanc restitutæ religionis formam. Scitote (charissimi amici) spectaculum esse nos Deo, Angelis, hominibusq́ue & bonis, & malis, & imbecillis. Deus non patitur se irrideri: Angeli iamiam adsunt supplicium non suppetias laturi: homines ingemiscunt boni, exultant improbi, offenduntur infirmi. Docete, docete omnes: hoc vnum inculcate iterum atque iterum: qui se Christianos numerari volunt, Christi vt dissimiles in viuendo esse nolint. Æquum est, synceram cognitionem sequatur syncera vita. Fastidit religionem, non amat, qui honestis eam moribus ornare negligit. Sed si vera potius, quàm dictu speciosa dicenda sunt: nunc planè ità viuitur à mor-

talibus, quasi cupiant hîc omne genus voluptatum exhaurire: quasi post mortem nihil sit, quod delectet amplius. O scelerum furias, quibus exagitantur homines nefarij: ô libidinum æstus, quibus impulsi ruunt præcipites in Tartara. An Deum res humanas curare non existimant? Negent hoc licet ad tempus homines voluptuarij: sentient tamen olim, sentient adesse rebus suis acrem animaduersorem: & quàm sit horribile in manus incidere viuentis Dei.

Patefacta nunc est veritas: discussæ abierunt errorum nebulæ: sacræ literæ sunt è tenebris in lucem erutæ: excusationi deinceps nullus est relictus locus. in omni genere disciplinarum, Deus & plura nobis adiumenta profudit, & maiora, quàm repeti possũt ex vlla superiorum temporum memoria. Sed hæc tam excellentia, & inusitata beneficia contemnit etiamdum ingratissima Britannia: neq; puro pectore tam propitium Deum colit: sed sibi potius inseruit, suisq; commoditatibus. Quoties interim ad resipiscendum inuitauit cœlestis Pater? Annon ità nos conuocauit, vt gallina singultu solet cõgregare suos pullos? Cùm externis non detrimentose pugnatum à nobis est: Bello intestino, nonne dexteras conuertimus in nostra ipsorum viscera? Peste, sudore, fame, quot millia sunt absumpta? Nequicquam tamen hæc omnia. Nã talia quis est qui curet? Quotus quisque est, qui se causam esse tantorum malorum suspicetur? Liberales artes, morum integritatem, explanationem diuini fœderis, autoritatem Ecclesiæ, vim iustitiæ cernimus

propé-

propemodum nullius esse precij. Vt ego vereor? ne nō virtuti amplius, neue eruditioni suus non sit futurus honos? Vt ego metuo? ne veteres obtrudat dolos denuò impudētißimus papa. Vt ego pertimesco? ne rursus ab oris nostris tā malè tractatas Musas abducat Deus. Erunt, erunt exulceratißima tempora, si non cauebimus: retrò abibunt, & delabentur omnia. Cauendum, ne doctis, intelligentibusq́ viris denudata Resp. destituatur ope, operaq́ prudentium: & suis ipsa conatibus in exitium ruat. Cauendum, ne quod ferè fit in rebus humanis: & quod alijs gentibus accidisse compertum est, idem nobis quoq́ accidat: ne (inquam) eximio gradu constituti deturbemur in præcipitium. Medæa illa Poëtarum decantata carminibus, deplorans miseriam, & infortunia sua, videre se ait meliora quidem, & ea comprobare: sed deterius omninò consilium sequi. Itidem hac tempestate, vident certè multi, quî poßit ex his malis eripi Ecclesia: sedent tamen compreßis manibus, secumq́ (vt dicitur) viuunt. Verùm enimuerò magnam adhuc in Regia Maiestate, cuius incredibilis & virtus, & scientia est: magnam in Heroibus nonnullis, apprimè fauentibus Euangelio: magnam in vobis, ad quos potißimùm pertinet harum rerum curatio, spem habemus, futurum sanè breui, vt videatur Ecclesia suā quandam stabilitatem esse consecuta.

Non est, quod vos deterreat à proposito: Defenditis eam, cuius inuicta vis est. Nam quid Ecclesiæ Dei potentius esse potest? Num mœnia? num propug-

nacula? num arma vlla? Delentur hæc diuturnitate temporis: cùm illam ne Dæmones quidem expugnare poßint. Ne quis autē iſta nuda verba putet, rē vobis teſtem dabo. Quàm multi oppugnauerunt Ecclesiam? Ipſi tamen perierunt oppugnatores: hanc verò ad honores ſummos aſcendiſſe conſtat. Eccleſia cùm impugnatur, vincit: cùm petitur inſidijs, ſuperat: cùm figitur maledictis, afficiturq; probris, nobilior euadit, atq; ſplendidior. Veniat vobis in mentem, quàm obnixè paſsim prædicauerit Chriſtū Paulus: quā multis, & magnis in periculis verſatus fuerit. Si tanti eſt Euangelij vulgatio: vt ob eam rem Prophetæ, vt Apoſtoli, vt optimi quiq; vitam profundere voluerint: non debebit à vobis ſumma fide vulgò enunciari? Hoc Moſes, diuinus homo, hoc populorum dux Ioſua, hoc Dauid & Rex, & Vates, hoc Solomon ille ſapientißimus, Patriarchæ, Prophetæ, viri deniq; amplißimi, & integerrimi hoc idem factitârunt. Imò Chriſtus Ieſus, filius præpotentis Dei, de gloria diuina ſe ipſe depreßit, quò diuinum hoc Euangelium, inambulans in terris, mortalibus exponeret. Quocircà doctrinam hanc minimè fucatam ſi arripuiſtis, arreptam demonſtrate: demonſtratam prohibite periculo: probibitam periculo probitatis cōmēdatione tuemini: quò ſanctè, atq; ſalutariter & cauiſſe nobis, & toti ouili conſuluiſſe videamini.

Magnum nomen, magna dignitas, magna maieſtas Epiſcopi eſt: quam appellationem tum dixit aſſumere ſe poſſe Cicero: cùm ad eum totius in Prouincia

[Margin notes: ...ysost. / ...or. 11. / Att.]

cia gerendi negotij summa referebatur. Athenienses eos nominauerunt Episcopos, qui mittebantur ad vectigales, subditasq́ ciuitates: vt quid in quaq; ageretur, diligenter inspicerent, atque obseruarent. Iam siue reliquos ministros contineri voluit Paulus Episcoporum nomine: ità vt quæ principibus dicebantur ea sibi quisq́ dicta putaret inferior: siue eodem vocabulo, & titulo compellauit omnes: non multùm laboro: quod voce significatur, id an vos præstetis Episcopi. Lyr.

In re quisque sua iudex, se viderit intus.

Si estis episcopi: circumspectate. quid à famulis, quid à liberis, quid à ministris Ecclesiasticis, quid à Magistratibus, quid agatur à populo. Si estis exploratores: exquirite Papistas, inuestigate Anabaptistas: Libertinos, & Hæreticos omnes deprehendite, corrigite, fugate, fundite. Si legati estis: imperata peragite. Si custodes omnium: custodite Domini vestri ouilia, & quidem integra: vt ne partim foueantur, partim deserantur. Si pastores, pascite, quantum in vobis est, greges vestros: nec vnquam parate fugam, vbi venientem videtis lupum.

Ouis etiamsi sit stolidißimum animalculum, atque simplicißimũ: tamen pastoris agnoscit vocem, eumq́ subsequitur, ab eoq; subsidium quærit, Sese ipsa nec adiutare potest, neque pascere, neq; sanare, nec à Lupis defendere: tota pendet ab alieno præsidio. Est igitur ea quidem infirma confirmanda, fracta obliganda, reuocanda vaga, quærenda perdita: ne fortè vt Israelitarum, sic Anglorum quoq́ pastores illã Do-

*mini Iouæ vocem audiant: Heu, qui vos ipſos paſci-
2.3. tis: nonne oues paſcere paſtorum eſt? Adipem come-
detis, lanam induetis, mactabitis opîma: oues non
paſcetis? Ne viuam (inquit Dominus IOVA) ni,
quoniam oues meæ prædæ, paſtuiq́; ſunt omnibus be-
ſtijs agreſtibus, defectu paſtoris: neque meas oues con-
quirunt paſcores mei: paſcuntq́; ſemetipſos, non itidē
ouiculas: hanc ob rem ipſos ego petam: oueſq́; meas ab
eis repoſcam: eoſq́; omnium paſtione abdicabo. Qua-
propter veſtrum perueſtigate gregem: liberate ex
luporum faucibus, ne ſint eis pabulo: in læta paſcua
deducite: in bona ſtabula reducite: curate veſtram
vt agnoſcant vocem: videte, ne optima pabula pedi-
bus obterantur, neue turbentur aquæ limpidiſsimæ:
videte per ianuam ne intraueritis in ouile, an aliâ
tranſcenderitis: videte demùm, ne Chriſtum poſtpo-
natis lucro: neue ab eo rapiatis oues, eaſq́; diſpergatis,
atq́; profligetis. Nam hoc quidem ouile non eſt ouile,
ſed Eccleſia: non hominis paſtoris, ſed omnipotentis
Dei: cuius imperio (niſi ſi quis mercenarius, aut præ-
do ſit) parebitis.*

*Iactent Monarchæ ſuam potentiam, Iudæi cere-
monias, Græci ſapientiam: nos verò Chriſtiani
Chriſti ſanctiſsimum Spiritum vnicè admiremur.
Hic eſt, qui ſuggerit nobis omnem veritatem,
qui animis noſtris de ſalute ſempiterna ſpem indubi-
tatam facit. Huius bonitate, fatebimur immen-
ſum beneficium nos eſſe conſecutos: ſi vel Philoſopho-
rum, atque Poetarum horrendos lapſus, erroreſ-*

que

quę consideremus. Ille, ille Spiritus, qui suo numine replet vniuersa, & rebus omnibus inspirat vitam: cuius vi cohæret hæc mundi totius machina: qui æterno Patri coæuum filium fœdere immortali iungit: qui imperitis hominibus ora repentè afflata soluit suis radijs, & ità soluit, vt vox eadem audiretur cẽtum sonare linguis, & Christum per orbem terrarũ stupefactis gentibus ostendere: hic vos elegit: hic vos asciuit, atque cooptauit in Ecclesiam suam: hic vos ouili suo præposuit. Nam siue parentes, siue amici, siue Magistratus ad hanc vos dignitatem & amplitudinem euexerunt: non ignoratis id fecisse præpotentem Deum: qui nos & parentibus obsequentes, & amicis morigeros, & magistratibus voluit esse subditos: nisi fortè obrepsit aliquis ad honores aut cupiditate & ambitione sua, aut errore hominum, aut fauore. Quandò igitur vigilantissimo seruitis, potentissimoq́ Principi: quicquid erit incogitantiæ, quicquid cessationis, quicquid ignauiæ: nõ committetur in hominem, sed in ipsum Deum, & communem nostrum Dominum. Ecquis autem famulus rerum suarum curam gerit, priusquam herilia negotia confecerit?

Agite, ô Presides & procuratores Ecclesiæ, per Deum immortalem agite: in tanta celebritate cœtus efficite, ne habeant quod conquerantur ouiculæ: ne destituta, & nullis præsidijs munita sint ouilia: ne S. ipse Spiritus coarguat vecordiam vestram: in quẽ peccasse, non vos præterit, quàm sit graue, & exe-

crandum.. Id vt poßitis effugere, perpendite, quos esse vos in terris voluerit Deus: quid requirat à vobis: quid muneris iniunxerit: hoc videlicet, Dei Concionem vt gubernetis: vel (quod vult Græci verbi vis) pascendo vt regatis, regendo vt pascatis Ecclesiam. Præsentes dum estis, præsenti muneri satisfacite, vt Paulus fecit: futura Deo, Deiq; nunciis curanda relinquite. Domino seruite cum omni
20, *modestia, vt Paulus. Quicquid erit vtile, præstate populo vt Paulus. Instituite homines tum publicè, tum intra parietes, vt Paulus. Docete correctionem morum, & Christo habendam fidem, vt Paulus. Vt Paulus nihil pensi habuit, neq; tanti vitam fecit, dũ alacriter suum cursum conficeret: sic diuinæ gratiæ vos Euangelium testificamini. Sicut Paulus contestatus est se ab omnium pernicie insontem esse, & Iudæis, atq; Græcis omne Dei declarâsse consilium: item vos Anglis cœlestia misteria publicate. Denique sicut Paulus præmuniuit Ephesios, & instruxit aduersus insectatores: sic vos continentibus studiis & perenni labore, tuemini doctrinam solidã: & armati semper ab omni parte quasi quasdam excubias agite: vt sarta tecta conseruetur Ecclesia Britannica.*

Si quod vnquam fuit tempus, (charißimi Patres,) & fratres, quo prudenti consilio & graui opus habuit Anglia: hoc ipsum esse profectò cernimus, ne tã sublimi è gradu decidat cum ingenti dedecore: neue excultas tantoperè disciplinas amittat, suo maximo

malo:

malo: neue hanc lucem, splendoremq́ diuini verbi negligat, & ita demùm in ærumnas miserabiles ruat. Conuentus iste vester vt omnibus innotuit: ita quorsum pertineat tandem, quósue fructus sit allaturus, auidißimè ab omnibus expectatur. Faxit propitius Deus, vt exeat magnum aliquid, & conspicuum, in quod libenter tota respiciat posteritas. Omninò quales erunt exitus, qualia vestra opera: tales vos ipsos esse & sentient homines, & prædicabunt. Itaq́ iamnunc penes vos erit, vestroq́ in arbitrio positum: aut Ecclesiæ Proceres præclarißimos, aut custodes inertes, & negligentes inperpetuum appellari. Quapropter excitate spiritus: erigite capita: aures, oculos, animosq́ aduertite: omnia collustrate: in toto regno religionem confirmate: literas, leges, virtutesq́ conserite. Apud Romanos, in Senatu quod primò proponebatur, id, teste Varrone, ad religionem pertinebat: neque vlla caussa, quamuis ampla, & expedita, hunc morem anteuertebat. Et quidem finis nostræ Politiæ non est positus in alendis, curandisq́ corporibus: sed multò magis in pascendis, reficiedisq́ cælesti alimonia mentibus. Prohibebunt Primates edictis publicis adulteria, furta, cædesq́ corporum: non etiam spiritalem fornicationem? non etiam animorum pestes? At vós si in speculis fortè stetistis, Episcopi: iamdudum sentire potuistis plæraq́ in Ecclesijs agi raptim, atque turbatè: sine more, sine ordine, sine sancto metu, sine sacrarum rerum honore, & cultu. Quid ergo? quid existimatis (grauißimi viri) quid existimatis?

Desiderari nullas leges Ecclesiasticas? nullam castigationem fraternam? nullam diligentiorem rationem ministerij?

Videmus Platonem, Lycurgum, Solonem, Numam Pompilium, aliosq́; nonnullos praecepisse saltem ea de religione, quam sua quadam opinione sibi finxerant. Quantò plus firmitudinis apud nos est? quod praeceptionibus corroboretur, & in omnes vitae partes accommodetur. Cùm rerum omnium vel minutissimarum ordo quidam sit: quo sublato, & euerso, consistere rerum natura nequeat: multò eum magis elucere debere in diuinis rebus existimo. Nam vt modus, & ordo reuerentiam prouocabit: ità confusio, & perturbatio contemptionem adferet.

Praetereà, non vos vrent, angentq; peccata publica: cùm auditis reposci à vobis pereūtiū sāguine? Si quis pereat, sua culpa pereat, nō vestra. Necesse habetis, ꝑ ea conditione in qua estis positi: (ne plectamini grauiùs ipsis maleficis) maleficia palā patrata palàm arguere: neque personarum in ea re discrimen habere vllum. Vtinam reuiuiscat in vobis Diuus Chrysostomus: & vt ille praescripsit suis, sic velitis vos vestris: quò à sacris arceantur homines apertè improbi. Prohibe (inquit) audacter. Hominem si reformidaueris, & habebit ipse te pro ludibrio, & irritabitur ad peiora. Est tibi dominus maior: quem si metueris, & mortalib⁹ venerādus eris, et immortali Deo gratus. Quodsi tu nō audes: ad me adducito. Non patiar haec audere quenquam. Anima deficiar prius, quàm in-

...tione, de ...ontem- ...a. Eccle. ... diui- ...yst.

indignis modis Domini cruorem porrigam. Equidem profundam potius meum ipsius sanguinē, quàm aliter atque decet exhibeam illum tam tremendum sanguinem. Melius est multò vita priuari, propter Deum: quàm propter vitam ipso Deo. Hæc ille: hæc vos mysteriorum ministri maximorum attendere, & curare debetis maximoperè. Si Ecclesiā benè audire vultis: si diuinam vindictam prohibere cupitis: quorumcunque hominum insanabile ingenium videtur esse: vos, cùm excluseritis eos è Christianorum conuenticulo: docebitis populum ea sancta credere, quæ ab istis violari solent. Christus (in quo Deus erat, mundūq; recōciliauit sibi) Concionē suam in honore vult haberi: quàm adeò complexus est, vt pro ea seipsum hostiam dediderit Deo. Itaq; nihil debens ipse, morte sua, redemit nostra debita. Quæ coempta sunt, ea seruari diligenter solent: quæ magno precio, diligentiùs: quæ maximo, diligentißimè. Iesus vnctus Dei, & idem dominus vester comparauit Ecclesiam, cuius estis Ecclesiastæ: non paruo, sed incomparabili precio, nimirum suo sanguine. An vero leues daturus est ille pœnas: qui vel incuria, vel pigritia sua merces tam pretiosas perdiderit? Quid igitur? Christus ad conseruandam Ecclesiam non dubitauit animam amittere: & nos fratrum salutem contemnimus? Christus cruore fuso, in gratiam recepit inimicos: & nos homines iam amicos factos non retinebimus? Christus nihil non egit nostri studio: nos nullam grati animi significationem præbebimus? Quid non

Cor. 2. 5.
Ephes. 5

iam fieri, sed omninò dici: nec iam dici, sed omninò cogitari potuit humanius? quid nostri amantius? Vtinam hæc Christi charitas tam in pectoribus nostris ardeat, quàm vehementer in auribus sonat. Idem in vobis quos amores excitauerit sui, haudquaquàm est difficile iudicium: quoniam eum si amatis, pascetis eius agnos.

Vigilate Patres, vigilate fratres: quò plus imminet periculi, eò diligentiùs, attentiusq́ue vigilate. Nō dormit Diabolus: semper aduersum nos irritat suos. Si vel absitis, vel agatis alias res, vel in otio langueatis: ingerent se lupi graues velut in caulas custodibus destitutas: qui gregibus nihil parcent, sed miseras ouiculas terent, trahent, discerpent. Peruersi doctores ingruent, & tyranni etiam, atque vastatores. Adeoq́ue ex ijs ipsis (quod est indignissimum) orientur lupi, vt vaticinatur Paulus: qui Christi se discipulos, & Ecclesiæ columina esse iactitant. Istiusmodi sunt Papistæ, qui plebi vsque insusurrant veteres, & aniles fabulas: qui in optimarum frugum copia, porcorum siliquis populum vesci volunt: qui lucentē lampada sub modio tegunt: qui pugnant acriter, & id agunt, vt perpetuò sibi liceat iacere, nec ad vllum modum peruenire. Neque desunt fortassis Anabaptistæ: qui peruertunt omnem ordinem, & nimium quantum metuendi Libertini sunt: quibus quicquid libet, licet.

Contra horum omnium luporum incursus, quam paratis defensionem, Patres? & quos tandem opponi-

nitis aduersarios? O rem miseram, atque miserandã. Ad Ecclesiarum procurationem admouentur non patroni, tutores, defensores: sed prædones, hostes, proditores: qui non quàm ipsi boni sint, curant: sed quàm bonum sacerdotium. Ad sacrum, ad publicum, operosumq́ negotium adhibentur indocti, adhibentur pigri & quod turpißimum est, approbantur. Mercedem ipsam ministrorum bonorum propriam, quid si assequantur idiotæ? quid si mulierculæ? quid si pueri? quid, si homines prorsus illiterati? Mirer, si est vana ferè vestra, pontifices, apud plebem autoritas? Vos eleuatis eam. Quippè quià muneribus, & emolumentis Ecclesiasticis, dum vultis vobis deuincire nescio quos ex alieno genere, atque ordine: & efficitis planè, vt minus poßitis ipsi, & estis maiori despicatui. Qui alijs exemplo esse debetis: aliorum exemplo peccabitis potiùs, quàm alij vestro rectè faciant? His ego iucundiora, & plausibiliora dictu alia esse scio: sed me vera, & seria pro iucundis, & plausibilibus loqui etsi meum ingenium non iuberet, neceßitas cogit.

Cauete à lupis: si non temporibus admoniti, at me iam admonente: si non me, at Paulo: si non Paulo, at Christo Deo, Deiq́ Spiritu. Cauete à lupis: quibus peculiaris est voracitas, & inexplebilis ingluuies. Cauete à vulpibus: quorum est vndecunque conuerrere, & ad se rapere. Cauete à Dæmonum caterua: qui iã hominibus abutuntur ad omnia.

Amplißimi patres, charißimiq́ fratres, si in ista curricula pertrahere vos potest Paulus exemplo suo:

si hortatibus, & admonitionibus eius acquiescitis: si communem hominum salutem priuatis paucorum vtilitatibus anteponitis: si præfecturæ vestræ autorẽ S. Spiritum agnoscitis: Christi gloriæ si studetis: si sãguinis eius aspersionem colitis: populum exemplo vestro sic confirmate, doctrina instituite, ope subleuate, prudentia regite, autoritate tuemini: vt vobis gratulemur, literis lætemur, patriæ gaudeamus, religione perpetuanda mirificè oblectemur. Suspicite ducẽ & vitæ, & fortunæ vestræ: despicite res humanas ipsa inanitate inaniores: inspicite vobis aßignata munera: perspicite pestiferam corruptelam horum temporum: respicite demum ad posteros. Illis puram, minimeq́ue deprauatam disciplinam Euangelij quasi per manus tradite: ad illos, introductam nostris temporibus, pulcherrimam tractationem bonarum artium, auctam & illustratam ordine transmittite.

Sed proculdubiò nisi constituatur aliquid certi, & existat quædam tutela doctorum hominum: secutura sunt horrendæ tenebræ: secutura barbaries, atque seruitus: è quibus luculento beneficio Dei non ità pridem erepti sumus. Videtis, Euangelij publicatio quãta curæ ipsi Deo fuerit: qui hoc nomine de cœlo demisit filiũ: nec potestis ignorare, quàm liberaliter opes cumulateq́ue contulerint ad sustentandos eruditos viros etiam Principes, & Reges magni, atque memorabiles.

Nunc autem quæso, humanißimi, atque optimi viri, spectemus (si absq́ue nimio dolore poßumus) Ecclesiæ sta-

statum. Nonne populo miserum, vobis inuidiosum, religioni inimicum, Deo inuisum, sic subuerti ministerium Ecclesiasticum? Potuit corrupta Ecclesia vigere, seruatis opibus: emendata non poterit? Siccine tractamur ab ijs, quibus tam benè fecimus: vt, cùm gratiam restitutæ religioni debitam expectemus, in hasce miserias incurramus? Vetum est eò videlicet, nihil vt moueant vehementißima verba Concionatorum? nihil vt inflectent supplicationes miserorum? O, quam ego faciem Ecclesiæ futuræ videor videre? Vagabitur, & errabit grex ouium dißipatus. Non erit, qui det pabulũ suo tẽpore famelicis. Morbi grassabuntur & plurimi, & fœdißimi. Consequetur admiranda, & commiseranda pecudum lues.

Iam iam poterit non sine caussa sic inclamare Deum Britannica Ecclesia: Ioua, Ioua, fer opem serua me obsecro. Aut sine me isthinc aliò transferri: aut ne patere diutiùs has indignitates. O terram illã beatam, quæ Christi Ecclesiam exceperit: hanc ingratam, si eiecerit: miseram, si amiserit. Sed certè discedentem reuocat ipsa Patria: quæ sic vobiscum, Pontifices, agit, & quodammodo tacita loquitur.

Quid agitur. Antistites? Quam indagâstis, nacti estis, introduxistis, protulistis, commendauistis: eam nunc religionem non conseruabitis? Tam citò distrahetur à me, cui modò restituta est? Vos, vos appello, doctißimi viri: qui tamdiu versati estis in Ecclesia redintegranda: qui tantoperè pugnâstis Romano cum Antichristo: vobis nõ modò inspectantibus,

bus, sed etiam assentientibus, labefactabitur Ecclesia vera? debilitabitur perfecta religio? O tempora, ô mores. Reuocare in hanc regionem potuistis Euangeliũ: retinere non potestis? Nam vbi præfecti? vbi doctores? vbi administri? quibus sublatis, nequibit illud diu consistere.

Huic quærimoniæ (splendidiss. atq; ornatiss. viri) occurrite: & subuenite pro viribus laboranti Patriæ. Consolamini afflictos: dimicate cum improbis: reuocate à flagitio: intercludite omnes luporum, et hostium vias.

Quod bonum, fælix, faustumq; sit vobis, reique publicæ: iam Senatus conuenit frequens, summum huiusce regni consilium. Iam retundatur ambitiosorum hominum in occupandis alienis possessionibus licentia. Refutetur, & coerceatur Papistarũ & Hæreticorum turba. Remoueantur potius pastores isti, quàm eiusdẽ generis admoueantur alij: meliùs pasti, quàm pascentes: curati meliùs, quàm curantes: qui tondent oues, non alunt: nudant, non operiunt: exspoliant, non exornant. mactãt, non fouent. Iura describantur Ecclesiastica: animaduertatur in scelestos: sua sint bonis præmia: detur eruditis Ecclesiarum administratio: locupletentur gymnasia, fiantque idoneorum ministrorum seminaria, quorum hodiè penuria periculosissimè laboratur. Ista sunt religionis ornamenta: ista sunt pietatis argumenta: isthuc est Euangelium restituere: isthuc est rempub. gerere: ista si fiant, placabitur Deus: triumphabunt Angeli: efferentur

rentur lætitia boni: pudesient improbi: infirmi reddẽtur absolutiores: Satan præ dolore crepabit medius. Cæpistis prouehere religionem rectam: tenete fortiter generosum cæptum, & alacri spiritu persequimini. O præclara Perseuerantia, quæ, & qualia tu tecum apportas bona? Quàm pulchrè agitur in Ecclesijs, vbi tu locum habes? Quanta ingeniorum adiutamẽta: quantas in sacris literis progreßiones: quàm egregios laborum fructus: quam constantiam in opinionibus, concinnitatem in moribus, grauitatem in verbis, honestatem in omni vita semper attulisti?

Veniat in mentem, vestra quid polliceatur profeßio: quid noti, quid ignoti, quid expectent à vobis omnes: quid Regia Maiestas, quid eius Cõsiliarij, quid ipsa Respub. postulet. A vobis plebs omnis cum sobole sua pendet: à vobis doceri expetit: vos quemadmodũ vixeritis, inquirent posteri: vos quales fueritis, Fama & in hac vita, & post fatum euulgabit: vobis talenta tradita repetet recipietq́; Dominus cum fœnore. Reddetis aliquando rationem, pastores, reddetis rationem principi pastorum Christo. Væ vobis, si aut ignauia vestra, aut vitio pusilli animi, aut quouis alio modo perdideritis oniculas: quarum caussa, mortem ipse Christus obijt. Date diligenter operam: timete mortalium neminem: omnium & iudicem, & vindicem timete: qui & corpus, & animã potest præcipitare in Tartara. Ne mortem metuite, vndè transitur ad vitam: peccatum metuite, mortis æternæ caussam. Labentem populum ad decus excita-

te: ab errore deducite: ad omne officij genus instruite: sic in studium religionis incumbite: vt & vobis saluti, & Regiæ Maiestati gloriæ, & Britanniæ ornamento, & Reip. Christianæ præsidio, & amicis voluptati, & inimicis terrori, et posteris admirationi, & Deo, Dominoq; honori esse poßitis. Ad extremũ, si qua desint: orandus erit ille, qui affatim, & abundè sufficiet omnia.

Deus, ô noster Deus: da, vt flante Fauonio tui Spiritus, vela dent gubernatores veram ad pietatem exercendam: puramq; religionem propagandam, atq; stabiliendam. Christe pastor, & conseruator: tu mẽtem tuam, qua quondam ouium neceßitatibus dedisti animam: da pastoribus, atq; rectoribus Anglicis: vt postquam præclarè gesserint sua munera: illam tuam audiant dulcißimam vocem: Rectè, ô serui boni, et fideles: in paucis qui fuistis fidi, ego multis præficiam vos. Ingredimini in Domini vestri voluptatem.

Hanc nobis voluptatem, paratam primùm ab orbe condito, deinde summo pretio comparatam, sui Christi respectu concedat cælestis Pater: cuius est regnum, & potentia, & gloria, in omnem æui æternitatem. AMEN.

FINIS.

